Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30409603

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RANCORE ET MORBIS EX RANCIDO.

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI

FRIDERICI GUILIELMI PESTEL,

J. U. D. ET JURIS PUBLICI AC PRIVATI PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè, ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

JOHANNES GRÜLL,

GERNSHEMIO—MOGUNTINUS.

Ad diem VII. *Majii* MDCCLXXVII. *H. L Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS, 1777.

V I R O

NOBILISSIMO ET *AMPLISSIMO*

JACOBO VAN NES,

D O M I N O IN M E E R K E R K,

CAPITULI RHENO-TRAJECTENSIS

QUOD A VETERE MONASTERIO NOMEN HABET

(Vulgo Oudmunſter)

CANONICI PLURIMUM REVERENDO.

FAUTORI ET PATRONO SUO

SUMMA PIETATE USQUE ET USQUE COLENDO.

In publicum grati devinctique
Animi teſtimonium

D. D. D.

JOHANNES GRÜLL.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RANCORE ET MORBIS EX RANCIDO.

ARGUMENTUM.

Tirocinio Chirurgiæ in Patria mea poſito, Medicinæ amans, ægros videndi, morbos & medicamenta tractandi ante, quam excolendi medicinalis ſtudii, occaſionem nactus, ſæpe in ſinu dolebam, quod inſtitutionibus academicis, quæ ad artem medicinalem pertinent, caruerim. Tandem ex ſingulari Numinis providentia factum eſt, ut in Academiam Rheno-Trajectinam ante hos quatuor fere annos

delatus deſiderio meo ex parte ſatisfacere, & Clariſſimorum Virorum, qui illam ornant, egregiis inſtitutionibus frui, quo ad conditio rerum mearum ſinebat, mihi liceret. Acceſſit novum & inſigne ex eo beneficium, quod Cel. HAHNIUS, vir meis laudibus ſuperior, tenuitatem meam haud aſpernatus ſingulari favore memet ſecundaverit. Erat tunc in explorandis rebus oleoſis, præcipue butyro & adipe humano, occupatus. Quibus experimentis cum mihi intereſſe interdum licuiſſet, memini Virum Clariſſimum aliquoties dicere: *Mirari ſe, quod Chemici & Medici cum leges communis putredinis noſtra ætate magno ſtudio & diligentia inveſtigaſſent, de rancore parum fuerint ſolliciti; & hanc tamen ſingularem pinguibusque propriam corruptionem ſedula exploratione maxime dignam eſſe; ſiquidem & ſola ſæpe exiſtat, & communi putredini plerumque adjuncta ſit.* Hæc prima fuit de argumento hujus diſſertationis cogitandi occaſio. Ab eo tempore frequens mihi opportunitas fuit, rancorem oleorum & pinguium, quæ ſæpius tractabam, aliquanto ſtudioſius obſervandi & inſignem percipiendi differentiam, quæ rancorem inter & ſepſin intercedit. Sollicite etiam, quæ Vir Clariſſimus vel in Prælectionibus academicis vel in privatis ſermonibus hac ſuper re interdum propoſuit, in uſum meum collegi; neque enim gravatus eſt, cum nuper in almam hanc Academiam me contuliſſem, quædam adhuc ad hoc argumentum pertinentia mecum communicare. Horum ergo dogmatum Epitomen quandam impetrata ab optimo Præceptore venia nunc Speciminis inauguralis loco edere auſus ſum. Quæ quidem præmit-

mittenda erant, partim ut opportunitatem nanciſcerer, Viro de me immortaliter merito publice gratias agendi, partim ut benevolus Lector cognoſceret, ad quem præcepta, ſi quæ in his pagellis utilia contineantur, pertineant; cætera quæ minus recte ſcripta aut non apte collocata ſunt, æqui bonique conſulat rogo.

CAPUT PRIMUM.

Rancoris notionem exhibens.

1. *Putredo, Rancor, & acrimonia alcalina inter ſe differunt.*

Priscis temporibus nomen putredinis latiſſimam habuit ſignificationem, omnesque notavit corporum tam firmorum, quam fluidorum mutationes, quibus particulæ ſine artis auxilio, ſpontanea quaſi diſſolutione dividuntur, atque a ſe mutuo recedunt. Nam & Saxa veteres appellabant putria, dum nativam duritiem amittunt, & friabilia redduntur, aut ſponte laxatis particularum vinculis in pulverem fatiſcunt. Et ne quidem ſemper in vitio erat nomen putredinis; ſiquidem terram quoque putrem dixerunt, quæ ſoluta & ad ſerendum apta eſt.

Recentiores hanc putredinis notionem nimis latam ideoque parum definitam certis terminis circumſcripſerunt, & duos præcipue

characteres, e quibus præſens putredo cognoſceretur, conſtituerunt; nempe ſalinæ materiæ mutationem in alcali volatile & oleoſas particulas valde attenuatas, una cum ſale illo exſpirantes.

Hanc vero definitionem non ex toto probari poſſe, innumera experimenta noſtro ævo circa putredinem facta, abunde docuerunt. Quanquam enim negari non poſſit, in omnibus corporibus vere putreſcentibus alcali volatile gigni & evolvi, tamen certum eſt, hoc alcali non eſſe præcipuum, multo minus perpetuum putredinis ſignum, ſed verum ejus criterium præbere mephitim ſive aërem fœtidum, & ſubtiliſſimis quibusdam particulis impregnatum, quem *gas ſepticum* appellare licet, naturæ humanæ vehementer inimicum.

Hoc autem gas e rebus putreſcentibus ſæpe diu ante prodit, quam alcali evolutum eſt; idemque ſupereſt, poſtquam alcali aufugit. Quantum autem diſtet ab alcali, vel ex hoc ſolo intelligitur, quod acida in putrilaginem inſtillata, non modo fœtorem non corrigant, ſed etiam augeant.

Accedit etiam hoc, quod in omni corpore putreſcente varias quaſi periodos & progreſſus notare liceat. Prima autem periodus acida vocari poteſt, quæ alcalinam ſemper antegreditur, & quanquam ob brevitatem interdum difficulter cognoſcatur & demonſtretur, tamen plerumque manifeſta ſui indicia & naribus & linguæ præbet; id quod per æſtatem in carnibus recens mactatis, & magis etiam in jure carnium citiſſime aceſcente obſervatur.

Summo igitur jure Medici hodie diſtingunt ſubſtantias alcalinas a putridis. Atque etiam illuſtris Gaubius, ubi acritates morbo-

ſas

ſas humorum recenſet, alcali volatile purum a putrido diſtinctiſſimum eſſe docuit. *Putredo*, enim ait, *affinis quidem alcaleſcentiæ volatilis vitio, nequaquam tamen confundenda, compoſitum notat acrimoniæ genus, quo affecti humores ſimul & ſalem habent volatilem alcalinum, & oleum huic permiſtum acre, fœtidum. Utriusque materiæ corruptio demum putredinem conſtituit, & maxime quidem poſterior, quam ſimplex alcali volatile etiam antevertere poteſt.* (*a*)

Et hæc quidem hodie extra dubium poſita judicium Medici in curandis, qui ex vero putrido oriuntur, morbis regere poſſunt ac debent; ſed quæſtio ſupereſt haud lævis momenti: *utrum corruptio quam humores oleoſi & pinguedines ſubeunt, generalem putredinis legem ſequatur?* In hac opinione magnus Boerhavius fuiſſe videtur, ſiquidem in aphoriſmis ſuis ubi morbos ex alcalino ſpontaneo deſcribit, acre oleoſum expreſſis verbis alcali appellat, eodemque titulo cum putredine complectitur. Doctrinam Boerhavianam hoc etiam loco Illuſt. Gaubius emendavit, docuitque, propriam eſſe pinguedini corruptionem maxime notabilem, quæ rancor nominetur. (*b*) Atque etiam rancidi effecta paſſim in opere pathologico recenſuit; ſed phyſicam chemicamque rancoris conſiderationem, cum medice ſcriberet, prætermiſit. Hanc ergo quæſtionis partem liceat mihi pro viribus nunc breviter tractare.

2. *Rancoris Conſideratio Chemica.*

Olea molliſſima & pinguedines corruptioni eſſe obnoxia, in vulgus

(*a*) Vid. Inſt. Pathol. §. 312.
(*b*) §. 375. l. c.

gus notum eſt. Et memoratu dignum eſt, quod Romani ad ſignificandam hanc corruptionem duobus vocabulis uſi ſint, quæ ad veram aliorum corporum putredinem ſignandam non adhibuerunt. Oleum enim quod incipit corrumpi, *fracere* aut *fraceſcere* dixerunt; ubi vero jam majorem putorem conſecutum eſt, *rancidum* appellarunt. Hinc apud rei ruſticæ ſcriptores hæc vocabula frequenti in uſu ſunt; hinc crebra admonitio, ut receptacula olei ſemper munda ſint, ne veteri rancore infecta, recens oleum corrumpant.

Dici non poteſt, quantopere qualitates ſenſibiles corporum pinguium motu hoc inteſtino mutentur. Cumque meam tenuitatem vehementer ſentiam & lubens profitear, placet in deſcribendis his mutationibus verba facundiſſimi BOERHAVII adhibere: *Quam notabilis eſt in oleis hiſce proprietas! qua tam cito, calore tantum ſeptuaginta graduum tantum a priſtino degeneraſcunt ingenio, absque ulla omnino alieni admiſtione. Enim vero de craſſo tenuius fit, de blando acre, de dulci amareſcens, de inſipido fere rancidum, de albo flaveſcens, de anodyno erodens, de laxante inflammans, omnes quidem hæ mutationes ſatis cito ita contingunt: paucis nempe diebus æſtivo calore. At quantæ mutationes! oleum amygdalinum recens linctum aſperas angina fauces pulcherrime mulcet. Oleum idem poſt paucos dies linctum ab homine ſano integras ejusdem fauces ſubito inflammat. Quoque dulcius fuerat recens, eo acrius ranceſcens, & veteraſcens. Hinc amygdalæ, nuces juglandes, piſtachia, quam tetra, poſtquam rancida, quam prompte anginam provocantia ad guttur, quam facile febres exci-*

citantia, per incenſas fauces, œſophagum ventriculum, inteſtina. Diſcite hæc Medici! in acutis dum ſuadetis uſum ſalubrem amygdalini olei, curate, preſſum ſit de amygdalis non rancidis, ut recens preſſum urente Syrio non ſit nuchthemero antiquius. Idem obſervatum in butyro, animalium crudo pingui, in lardo, in medulla, perfectis magis horum oleis. Quam hæc blanda recentiſſima! quam horrenda, quando æſtuoſo cœlo, absque ſale committuntur aëri. Flaveſcunt, cæruleſcunt, vireſcunt, acerrima, & facile in peſte lethali, fracedine venenata ſane evadunt. Nonne in caſeo pingui, butyroſo, acerrima ſi veteraſcit, acrimonia exoritur! Vidi ſane labia, gingivas, linguam palatum, fauces inde violente inflammari. Quid interioribus igitur viſceribus accidat, facile perſpicitur. Vos cogitate porro auditores, obvium experimentum, quo breviſſime igne ebulliens hoc oleum tam cito flaveſcat, rubeat, nigreſcat, amareſcat, acre fiat, ſicque brevi evadat inſalubre. Tum intelligitis, olea hæc horarum ſex ſpatio in ventriculo amariſſima fieri, atque in fauces & os regurgitantia, falſo pro bile haberi: quum igni injecta ardeant, flammamque concipiant. Ex quibus obſervationibus circa ingenium hujus olei quam plurima intelliguntur in hiſtoria naturali, medica, pharmaceutica Culinaria. (*c*)

Et hæ quidem qualitatum ſenſibilium mutationes ab experientia comprobatæ ſunt & manifeſtæ; nondum tamen quæſtioni propoſitæ, *an aliquid putredinem inter & rancorem interſit!* Solvendæ ſufficiunt. Quæritur enim, cujus generis ſit illa acrimonia, quæ in

(*c*) Vide Chem. tom. 2, pag. 96.

in oleoſis corruptis percipitur? an acida? an alcalina? an putridis effluviis ſimilis?

Si ſenſum olfactus diligenter conſulamus, hic fœtorem rancidi olei a putrido halitu prorſus diverſum eſſe declarat.

Quod ſi chemica artificia in ſubſidium vocemus, plenius etiam de magno diſcrimine putredinem inter & rancorem convincimur. Quodcunque enim oleum molle, quæcunque pinguedo, dummodo pura ſit, neque aliis rebus veræ putredini obnoxiis inquinata, ſub deſtillatione in vaſis mundis lente prudenterque facta a principio ad finem acidum liquorem fundit, nihil prorſus alcalini. Neque ab hac regula adeps humanus, & ne medulla quidem excipi debent. Quocirca conſuli omnino meretur Diſſert. Doctiſſimi BACHIENE (*d*) in qua novis experimentis a Clariſſimo HAHNIO inſtitutis, hæc res confirmatur, & extra dubium ponitur.

Equidem nonnulli auctores noſtra etiam ætate imprimiſque PINELLI (*e*) negaverunt, alium præter alcali volatile ſalem in pinguedine eſſe; ſed hi profecto vel abſque experimentorum fide per quandam conjecturam hoc aſſumſerunt, vel experimentis male inſtitutis decepti ſunt. Eſt enim error perfacilis, ſi pinguedo animalis non accuratiſſime prius repurgatur, quam ad deſtillationem adhibetur. Nam adhærentes membranulæ & venulæ, niſi auferantur, efficiunt, ut omnino aliquid alcali volatilis per ignem expel-

(*d*) De adipe humano anno 1774. Ultraject. edita.
(*e*) In Tractatu de Podagra, pag. 228.

pellatur. Cujus ne minimum veſtigium apparet unquam, ſi adeps moderato calore eliquatus & rite percolatus fuerit.

Quod de oleis mollibus & pinguedine recenti modo dictum eſt, hoc etiam valet de iisdem, poſtquam fracuerunt, & vel prorſus rancida evaſerunt. Si per ignem in vaſis clauſis reſolvuntur, acidum liquorem, nihil alcalini præbent.

En primam magni momenti differentiam, quæ pinguedines inter & cæteras corporis animalis partes intercedit, atque ad intelligendam rancoris indolem plurimum facit. Hinc enim patet, ſuccos mere oleoſos gignendo alcali volatili eſſe ineptos. Quæ ineptitudo unde oriatur Chemicis inquirendum relinquo. Sufficit mihi notaſſe, quod certis experimentis confectum eſt, ſcilicet acidum in oleis ita eſſe diſpoſitum, ut neque ſpontanea corruptione, neque ignis vi ſuam naturam mutet, aut in alcali volatile vertatur. Longe aliter ſe res habet in carne, quæ ſecundum naturam aliquid etiam acidi continet, & dum incipit corrumpi, naribus hoc percipiendum præbet, verum paulo poſt ſub progreſſu putredinis nil niſi alcalinum ſpirat & exhibet.

Alterum diſcrimen, quod ex pinguedinum deſtillatione diſcimus, ad rancoris interpretationem haud parum etiam facit. Etenim præter acidum liquorem e pinguedine pura, ſive ex homine, ſive ex alio animali deſumpta, vi ignis duplex acquiritur oleum, primum lene, molle, & butyro ferme ſimile, & quod mirabile eſt, ipſa pinguedine ſpiſſius; alterum vero longe liquidius ac tenuius odore & ſapore horrendo, tantaque acritate præditum, ut nares, oculos,

palatum, ni operator ſollicite ſibi caveat, vehementer rodat, & ſolo halitu inflammet. Ipſe liquor acidus, qui cum his oleis exprimitur, hujus acrimoniæ particeps eſt, neque tamen eam ſibi ingenitam habet, neque tam profunde inſitam, ut liberari nequeat; quin potius eam omnino deponit, dummodo aqua pura diluatur, & poſtea interventu lenis caloris ab hac aqua liberetur. Sic enim depuratus non amplius acris & urens eſt, ſed manifeſte ad linguam acidus.

Quæ cum ita ſint, intelligitur urentem acrimoniam in rancidis pinguedinibus pro cauſa materiali non modo ſalinam habere materiem acidi ingenii, ſed potiſſimum oleoſas quaſdam particulas valde attenuatas. Mirum ſane eſt, quod ex molliſſimis oleis & inerti pinguedine per motum inteſtinum, ſive ſpontaneum, ſive igne productum ſpicula tam acria, tamque ſubtilia & volatica gignantur; & mirabilius etiam hoc, quod olea empyreumatica ex aliis corporibus ſive vegetabilibus ſive animalibus parata nunquam iſtum vehementiæ gradum conſequantur, quem noſtris ſenſibus illa exhibent, quæ ex ſinceris pinguibus deſtillata ſunt.

Fateor hujus differentiæ cauſas mihi eſſe ignotas. Licetne acerrimum hunc halitum appellare *Gas Rancidum* a ſeptico prorſus diverſum?

Ex his inter ſe collatis liceat mihi hanc rancoris definitionem elicere, ut dicam eſſe materiæ oleoſæ, mollis, inſipidæ, inodoræ, mutationem motu quodam inteſtino inductam, qua acrem odorem ac ſaporem ſtimulandique & urendi vim nec non majorem vola-

latilitatis gradum nacta ſit, ab acido prius involuto, nunc extrorſum verſo ſimulque oleoſis particulis valde attenuatis armato proxime effectam.

Multum ergo diſtat a putredine rancor; & gas corruptæ pinguedinis alia prorſus res eſt, quam gas ſepticum; illud longe mordacius eſt, ſed tamen non adeo peſtiferum, quam hoc; illud eſt velut apertum & acre venenum, quod ſuo ſe ſtimulo ſtatim ipſum prodit, ſepticum vero eſt venenum inſidioſum magis & pernicioſum. Interdum duo hæc effluviorum genera concurrunt; unde halitus omnium putidiſſimus, & naturæ humanæ maxime contrarius exiſtit, velut in putrido ovo, in piſcibus corruptis, in putreſcentibus oſſibus, quæ membranis & medulla non liberata fuere.

Quanquam autem olea & pinguedines rancori, id eſt, corruptioni, ſint obnoxia, eadem tamen, experientia teſte, longe diutius corruptioni ſuæ reſiſtunt, quam alia corpora putredini, adeoquidem, ut etiam inter remedia anteiſeptica certo ſenſu referri debeant. Etenim carnes, piſces, cancri decocti, aliæ res in putredinem proclives, ſi puro ac ſincero adipe circumfunduntur, a corruptione ſatis diu tuta ſunt. Ova pinguedine leniter obducta diutiſſime ſervantur integra. Piſces in muria ab oleo ſuperfuſo contra putredinem defenduntur. Hinc eſt, quod Cl. MUSCHENBROEKIUS ſcripſerit, *oleum raparum inter antiſeptica principem locum teneri; ſub quo quippe ova per annos quatuor integerrima manſerint.* (*f*) Hæc autem vis vel

(*f*) In Introductione ad Phyſicam, tom. 1. pag. 16.

vel potius aptitudo ad prævertendam putredinem, ſic explicanda videtur. 1°. Illitæ pinguedines impediunt, quominus aër in corporibus incluſus exire, aut externus in ea penetrare queat; 2°. olea ipſa parum aut nihil aëris in ſe habent; utique ejus præſentiam neque antlia pneumatica, neque deſtillatio per ignem docet: 3°. denique humorem aqueum reſpuunt, adeoque ex ſuis penetralibus perinde atque ex corporibus, quibus circumfuſa ſunt, arcent & excludunt.

Hinc etiam eſt, quod quo puriora ſunt olea & pinguedines, hoc diutius rancori reſiſtant, & integritatem ſuam ſervent. Exemplum manifeſtiſſimum nobis præbet butyrum, quod ſale condiri debet, ut ne cito ranceſcat; non quod per ſe in corruptionem iſtam tam proclive ſit, ſed quoniam ſemper nonnihil caſeoſæ materiæ nec non ſaccharinæ e ſero relictæ aliquid contineat. His enim alienis particulis ſi penitus liberatur, absque ſalis adminiculo diu ſuam blanditiem conſervat. Videmus hoc in butyro cocto (Schmeltz butter.) quod ſalis prorſus expers ætatem perinde fert ac butyrum commune ſale conditum. Scilicet coctura & deſpumatione liberatum eſt ſeroſa humiditate & caſei reliquiis, jamque purum quaſi lactis oleum offert, & cæteris ſinceris oleis hactenus ſimile eſt, ut ſe ipſum pariter atque alias res ſuo interventu contra putredinem tueatur, dummodo aëri in horas mutabili & corpora indeſinenter ſollicitanti non nimis pateat, nec calorem nimium experiatur.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De Rancidi exiſtentia, cauſis & effectibus in corpore humano.

1. An, unde, ubi rancidum in corpore naſcatur?

Num acrimonia rancida in corpore humano vivo poſſit exiſtere? Num revera interdum exiſtat, & materialem ægritudinis cauſam conſtituat? inutiliter ni fallor quæritur. Nemo enim ea de re dubitare poteſt, qui conſiderat, & materiem rancori obnoxiam & cauſas rancorem promoventes in corpore eſſe.

Quod materiem attinet, facile expediri poteſt. Primo enim conſtat inter omnes, pinguedinem inter humores univerſales corporis humani referendam eſſe; cujus cum inſignis ſit non tantum utilitas ſed omnino neceſſitas, ſedem quoque ampliſſimam natura conſtituit, ſiquidem textus cellularis ei recipiendæ accommodatus latiſſime patet. Adhæc quotidie cum cibis & potibus magnam oleoſæ materiæ copiam ingerimus. Neque enim ſine ſanitatis detrimento oleoſis prorſus carere poſſe videmur. Quanquam enim homines ſunt, qui aqua & pane aut tuberibus ſolani victitant, tamen inde non ſequitur, vitam ſine oleoſa materie ſuſtentari poſſe.

Nam primo panis ipſe & tubera illa aliquid oleoſi in ſe continent, deinde perpauci omnino homines ſunt, qui hoc ſolo cibo eoque ſicco absque lacte, aut caſeo, aut butyro, aut lardo ſanitatem & robur conſervant. Ipſa illa fœmina vleutenſis, quam mihi in ædibus Clariſſimi HAHNII aliquoties videre licuit, cujusque hiſtoriam ingenioſiſſimus eruditiſſimusque VOLTELENUS pleniſſime ſcripſit (*g*), quanquam ab omni cibo abhorreret & abſtineret, tamen præter aquam opus habuit materie ſaccharina id eſt oleoſa.

Neque tantum materies rancori obnoxia in corpore ſecundum naturam eſt, & quotidie in Ventriculum nova ingeritur, verum etiam præparatio, quæ alimentis adhibetur, priusquam aſſumuntur, ſæpiſſime rancori favet.

In noſtris regionibus frequentiſſimo in uſu ſunt Cremor lactis, butyrum, lardum, & pinguedo bubula; in Meridionali Europa oleum olivarum; in frigidis plagis pinguedo piſcium, balænarum & phocarum. Neque hæc ſemper recentia adhibentur, ſed ſæpe diu ſervata & vetuſta. Copia enim recentium non usque & usque hominibus data eſt. Condiuntur ergo ſale, indurantur fumo, decoquuntur ex aqua. Sic ſervari quidem poſſunt, & ingratæ tempeſtatis penuriam compenſant, verum tamen nativam ſuam mollitiem non tuentur. Hinc eſt, quod initium rancoris quandoque jam ſubierint, dum adhibentur. Atque etiam multis hominibus, qui-

(*g*) In Diatribe Medica memorabilem ſeptennis Apoſitiæ Hiſtoriam exhibente anno 1777. Lugduni Batavorum Edita.

quibus fatua & inſipida diſplicent, levis fracedo non ingrata eſt.

Adhæc pinguedines igni plerumque prius exponuntur, quam in ventriculum veniunt; aut certe aliis rebus ignem expertis, coctis vel toſtis, adduntur. Fiunt inde juſcula, intinctus, embammata & alia gulæ irritamenta.

Pejus etiam hoc eſt, quod tamen perfrequens, ut oleum empyreumaticum e carnibus, dum aſſantur, deſtillans ſedulo colligatur, & ad fercula ſapidiſſima adhibeatur. Quin immo carnes, ut majorem pinguedinis copiam & habeant & fundant, lardo involvuntur, butyro implentur, & jugiter perfunduntur. Deſtillans oleum ab igne aperto & ſicco aduſtum placet quidem palato, ſed manifeſtam acrimoniam habet, & ex vulgatiſſima obſervatione ſtomacho grave eſt, eoque magis inimicum, quo natura animalis, e quo fluxit, calidior, & ad corruptionem proclivior eſt. Quare etiam ex ſylveſtribus & feris, item e piſcibus, elicitum ſub aſſatione oleum ob nimiam acritatem plerumque abjici ſolet.

Si ergo medicus ad artis coquinariæ fontes & vias animum ſollicite advertit, origines acrimoniæ rancidæ facile perſpicit. Hæc enim ars oleis & pinguibus carere non poteſt, quorum quippe callida diſpenſatio præcipuas menſæ delicias efficit. Solent autem variis modis adhiberi, velut in elixis, in aſſatis, in frixis, in digeſtis, adipatis, paſtis, tortisque. Sub quibus omnibus præparationibus vis quædam oleo infertur, craſis aliquantum mutatur, acidum ex parte evolvitur, major denique ſubtilitas conciliatur, & vitium rancori propinquum gignitur. Sunt autem varii hujus ad

ran-

rancescendum proclivitatis gradus, quos æſtimare & metiri Medicus utcunque poteſt, 1°. ex copia pinguedinis, quæ ferculis addi ſolet, 2°. ex ejusdem natura magis vel minus corruptibili, imprimisque 3°. ex gradu ignis adhibiti, & 4°. ex tempore, quo ignis egit, denique 5°. ex modo, quo applicatus ſuit; ſiquidem multum inter eſt, ſiccus fuerit calor? an aquæ interventu temperatus? corpori ipſi, an tantum vaſi adhibitus? vaſi denique patenti an clauſo?

Ex quibus inter ſe collectis intelligitur, non modo materiem rancori opportunam frequentiſſime in ſtomacho & inteſtinis congeri, ſed etiam cauſas bene multas, quæ ejus corruptioni favent, aſſumptionem antegredi. Jam vero in ipſa primæ digeſtionis officina, opportunitas nova ad rancescendum naſcitur. Nihil enim magis promovet corruptionem pinguium, quam calor, diffuſio in latam ſuperficiem & conquaſſatio cum particulis aëreis, aqueis aliisque, præſertim talibus, quæ motu inteſtino actæ fermentantur aut putreſcunt. Conſtat ſane inter omnes ex vulgatiſſima obſervatione, quod quo calidior tempeſtas eſt, hoc citius butyrum acre fiat; ideoque dum ſirius ardet, in noſtris etiam regionibus diligenter contra caloris vim defendi, & in cella frigidula recondi debeat. Equidem hoc titulo pinguedines & olea plurimum inter ſe differunt. Sunt enim quæ brevi tempore motum illum inteſtinum, quo rancor efficitur, concipiunt, velut oleum amygdalinum, oleum e nucibus juglandis, imprimisque animalium quorundam pinguedines, & maxime medulla; alia ætatem inſignem ferunt,

unt, dummodo in vaſis mundis & in temperato aëre ſervantur, exemplo olei olivarum ab amurca diligenter liberati, quod in lagenis vitreis per annos integrum ſervari poteſt. Verum tamen omnia huic corruptionis legi ſubjecta ſunt, eoque citius reſolvuntur, quo majorem experiuntur calorem. Et cum naturalis atmosphæræ calor facilitatem ranceſcendi parit, tum artificialis calor multo etiam magis eam auget præſertim ſiccus. Utique butyrum moderato igne liquefactum, ſolo hoc per ignem tranſitu, clandeſtinam quaſi acrimoniam acquirit, quippe quod ex vulgatiſſima obſervatione minus commode a ventriculo fertur, quam recens & calorem non paſſum. Itaque dubium non eſt, quin calor animalis, cui pinguedines in ventriculo exponuntur, interdum ad promovendam ranceſcentiam aliquid facere poſſit ac ſoleat. Neque motus ventriculi & inteſtinorum, atque hinc producta olei fluctuatio, & in latam ſuperficiem diductio, nihil conferunt. Accedunt varia corpuſculorum genera, ex cibo potuque; nec non varii ſucci in fiſtulam cibalem confluentes, quibus cum inſita ſit fermenti vis, qua alimenta potiſſimum mutantur, credibile omnino eſt, eſſe etiam aliquam in pinguedines poteſtatem.

Ex quibus in ſummam collectis hanc mihi videor poſitionem non injuſte deducere poſſe: rancidum re vera in ventriculo & inteſtinis interdum naſci, præſertim ſi hæc organa non admodum firma ſint, aut pinguium juſto major copia aſſumatur, utique pinguium ignem paſſorum neque aliis rebus admixtis correctorum. Idem vero ex primis viis in ſecundas tranſire, atque ad pannicu-

lum adipoſum ſemet penetrare tandem poſſe, vero maxime ſimile redditur, ſi conſideremus, quod oleoſæ particulæ in culina animali cum aquoſis cæterisque in ſpeciem emulſi vertantur, atque ita ad introitum in vaſa lactea accomodentur. Sic tandem intemperies rancida in univerſo corpore naſci poteſt.

2. *Effectus Rancidi in Corpore nati.*

Proximum eſt, ut noxias rancidi in corpore vivo nati qualitates, multasque & graves, quas parit, moleſtias exponam. Equidem Venerabilis GAUBIUS effecta rancoris duobus in locis pathologiæ ſuæ breviter ac nervoſe deſcribit. Nam *acre oleoſum, rancidum, ambuſtum*, ait, *cardialgiam facit urentem, ructus, ac vomitiones materiæ amaræ, pinguis, rancidæ, acris, igneæ, horrorem ciborum, ſitim ſummam, ſiccitatem, calorem anxium, feces alvi pingues, fervidas, fœtentes, urinam flammeam, acrem, calidam, ſpumoſam, febres ardentes, Eryſipelas, inflammationes acres, vix reſolvendas, hisque longe peiora ſymptomata, ſicubi & pinguedinem corporis ſimili tandem vitio imbuerit.* (*b*) Idem *pinguia*, inquit, *vel ſpontanea corruptione, vel præparatione coquinari, vel vitio coctionis, ex nativa blanditie in acrimoniam verſa nocent vehementius; maxime, ſi diuturno abuſu rancor primarum viarum in ſecundas admiſſus adipem corporis demum quoque infecerit. Inde peſſimæ notæ cacochymia acris, atrabilaria, ſcorbutica, cadaveroſa, vix extergenda, quæ* ad

(*b*) §. 328. l. c.

ad inflammationes, *exanthemata*, *herpetes*, *ulcera maligna*, *cancros*, *gangrenas*, *ſphacelos*, *cariem diſponit*. (*i*) Omnia ac ſingula quæ Vir illuſtris duobus hic aphoriſmis complexus eſt, ſigillatim, & minute perſequi, mihi non licet, & nimis longum foret. Verum tamen præcipua effecta & cæteris evidentiora proponere debeo, quod eo ordine facere conabor, ut primo, quæ in faucibus & ſtomacho fiunt, deinde quæ in inteſtinis contingunt, denique quæ cæteris in partibus corporis evenire interdum ſolent, breviter exhibeam.

1°. Rancidum vel aſſumtum vel natum in ventriculo producit ſenſum permoleſtum, & ſubinde acrem dolorem, præcipue ad ſiniſtrum ventriculi oſtium. Eſt ſpecies cardialgiæ, quæ a cæteris maxime diſtat ſenſu ardoris. Et huic vulgo nomen *Sodæ* imponunt, quod nomen ab arabibus medicis ad nos manavit, & primitus dolorificum capitis ardorem ſignificavit, deinde ad hanc ventriculi moleſtiam notandam tractum eſt; forte quoniam experientia homines paulatim docuit, affectum illum Capitis & hunc ventriculi dolorem ſæpe numero comites eſſe, atque priorem ex poſteriore per ſympathiam quandam ſubinde produci, quin optime ſanari, ſi ventriculo proſpiciatur. Non dico ſodam ſemper ex rancido naſci, ſed tamen auctoritate multorum Medicorum & vulgari experientia nixus aſſerere haud dubito, frequentiſſimam ſodæ cauſam eſſe vel pinguia aſſumta & corrupta vel bilioſam ſabur-

(*i*) §. 460. l. c.

burram, in qua vitium rancoris, ut paulo poſt monſtrabo, ſubinde naſci poteſt.

2°. Hanc ventriculi moleſtiam comitatur plerumque ingratiſſimus faucium ardor & ſpasmodica pharingis conſtrictio. Quæ quidem naſci videntur partim a vaporibus acriuſculis, quos fracida &ranceſcentia pinguia emittunt, partim & forte etiam magis a partium conſenſu, quem in noſtro caſu ſupervacuum eſſet, multis exemplis adſtruere, quum ſatis ſuperque notum ſit, gulæ ſpasmos varios, ſtrangulationis ſenſum, tuſſim & ſimilia incommoda ſæpiſſime oriri a ſtimulis non tantum in ventriculo ſed profundius etiam in inteſtinis ſedem habentibus.

3°. Hinc porro producitur ariditas gutturis, & aſſidua ſitis, quibus natura occurrere ſtudet larga ſalivæ ex omnibus fontibus ſecretione; itaque os identidem aquoſo latice plenum eſt, præſertim in hominibus delicatis & in fœminis.

4°. Intercurrunt nauſea, vomituritio & ructus, qui ſenſum ardoris & ſæpe acoris usque in fauces deferunt. Inflatio præcordiorum, & magna anxietas hos ructus ſæpe præcedunt, & per eos aliquando levantur, ſed paulo poſt redeunt, usque dum verus tandem vomitus fiat, quo materies admodum acris, modo amara, modo urentis acoris ſenſum faciens excutitur. Atque ob hanc ardentis velut acidi perceptionem vulgus plerumque acidum in ventriculo accuſat; nec inepte; quanquam medici ſæpe aliter ſentiant. Eſt enim, ut ante vidimus, in omni rancido verus acor, ſed tamen diverſus ab acido ſpontaneo puro, quo debiles homines & ma-

ximè infántes ſæpiſſime laborant, quodque per olea ipſa mollia leniri atque obtundi ſæpe feliciter poteſt.

5°. Veriſimile porro eſt, bilem a rancido corrumpi, & in communionem rancoris perduci poſſe. Primo enim certum eſt, quanquam bilis haud immerito vim ſaponaceam & reſolventem habere dicatur, eam tamen ſincero oleo & adipi diſſolvendis non perinde parem eſſe ac verum ſaponem. Adhuc ipſa bilis magnam oleoſæ & quaſi balſamicæ materiæ copiam continet; id quod experimenta cum bile ab acidis præcipitata abunde docent. Cum igitur *rancor ſemel ſuſceptus*, ut verbis Cel. GAUBII utar (*k*) *vix emendari queat*, & *virtute quaſi fermentali ſeſe propaget*, dubitari non poteſt, quin rancidum bilem, quam in ventriculo & duodeno offendit, ſua acrimonia inficiat, & forte inſtar acidorum craſin turbet. Hinc forte explicari debet, quæ de bilioſa acrimonia veteres perinde ac recentiores quidam Practici ſcripſerunt, qui eam acido-corroſivam & cauſticam vocarunt. Neque enim impetrare ab animo meo poſſum, ut credam, bilem communibus tantummodo putredinis legibus eſſe ſubjectam, ſed ob rationes modo propoſitas eandem rancori obnoxiam eſſe conjicio; quo aſſumto corroſiones illæ & inflammationes & ſpasmi & dolores acerrimi, quæ a vitiata bile in febribus cholericis, in cauſo, & in colicis quibusdam obſervantur, facilius intelligi & explicari poſſunt.

6°. Venter potius & frequentius adſtringitur, quam laxatur, ſi ran-

(*k*) In §. 375. l. c.

rancidum in primis viis eſt. Quanquam enim recentia olea & pinguedines mollem & lubricam faciunt alvum, eadem tamen ſi rancuerunt, vim ſtimulandi, calefaciendi & ſiccandi exſerunt. Accedit etiam hoc, quod mucum inteſtinalem, qui ad temperandam acrimoniam majore copia ſecernitur, non modo diſſolvere non poſſint, ſed etiam denſent, & compingant, omninoque in pituitam tenacem convertant, quæ altera cauſa tardi & adſtricti ventris eſt. Neque tamen negavero idem rancidum tandem aliquando peſſimas diarrhœas producere.

7°. Superfluum fere eſt, commemorare dolores, ſpasmos, inflammationes, eroſiones, quas rancida materies in inteſtinis paſſim producat; præſertim ſi hæc teneriora & ſenſu exquiſito prædita ſint. Neque tantum ipſa loca, quæ attingit, ſed etiam per conſenſum remotiores canalis cibarii partes afficere poſſe videtur. Videmus ſane in multis hominibus tantam externæ cutis irritabilitatem, ut oleoſa & pinguia, præſertim acriuscula, ferre nequeant, quin Eryſipelas paulatim ſerpens & usque ſe diffundens patiantur. Quidni credamus ſimilem a rancida materie in inteſtinis effectum ſubinde produci?

8°. Illud etiam ab obſervatione & uſu certum eſt, perſpirationem cuticularem per oleoſa nimis liberaliter aſſumta, præſertim ranceſcentia aut ambuſta, minui ac turbari. Videtur ſpasmus organo cutaneo induci, quo efficitur, ut clauſi pori allatæ per arteriolas materiæ tranſitum negent. Eſt ſane mirabilis inter cutim & inteſtina conſenſus, ut alterius irritatio alterum afficiat.

9°. Quo-

9°. Quominus mirari debemus, quod morbi & vitia cutis bene multa ſenſim oriantur, tam brevia quam longa, ſi diuturnus pinguedinum abuſus eſt, atque ex his rancidum in corpore natum. Imprimisque eryſipelas in externo corporis habitu frequenter inde gignitur, non modo ob impeditam a ſpasmis capillarium vaſorum perſpirationem, ſed veroſimiliter etiam ob acres halitus e corrupto oleoſo effluentes & paulatim intra ſanguinem & humorum maſſam ſuſceptos, poſtea naturæ medicatricis beneficio ad ſummam cutim propulſos. Neque infrequens eſt, puſtulas, porrigines, vitiligines, variasque maculas paſſim in corpore ex hac cauſa productas videre. Eſtque vulgatiſſima obſervatio, ſicubi abſceſſus aut ulcus in corpore exiſtit, pus ſtatim a pinguium, præcipue fracidorum aut ambuſtorum, uſu blanditiem ſuam amittere & tenuius atque acrius fieri; quin etiam aliquando acre acidum ſpirare.

1°. Natura ſemper actuoſa & corpori ſuo proſpicere ſatagens rancidum per varias vias eliminare ex parte ſolet. Hinc primo urinæ colorem ſolito ſaturationem, majorem etiam acritatem habent, imprimisque ſpumæ tenaciores ſunt, & varios colores refringunt. Deinde perſpirabile ſanctorianum majore interdum copia, & multum fortiore odore præditum e corpore fluit. Hinc eſt, quod Groenlandi, obſervante Crantzio, vehementiſſime olent, quibus ſolenne eſt fracidis & ranceſcentibus oleis animalium cetaceorum & phocarum aſſidue atque immodice uti. Atque ſi natura per has vias humores ſatis purgare nequit, acre illud in panniculum adipoſum paulatim deponit. Sic univerſa corporis pinguedo

in-

interdum inficitur & peſſima ſymptomata creat, quibus natura identidem vexata novas ſubinde vias quærit & parat. Hinc inflammationes, eroſiones, furunculi, ulcera paſſim in habitu corporis, præcipue tamen ad crura, naſcuntur, nec tantum diutiſſime fatigant, ſed neceſſaria quandoque fiunt emiſſaria, quæ absque præſenti vitæ periculo claudi nequeunt.

11°. Denique inter effecta rancoris commemorari etiam debet, quod non modo corporibus cæterum ſanis plurimum noceat, ſed etiam utilitatem tollat, quam adeps in adverſa valetudine, dum corpus aliis vitiis laborat, præſtare ſolet. Eſt enim lex naturæ, ut acritates, quæ ſubigi aut expelli non ſatis cito & commode poſſunt, extra maſſam humorum amandentur & in textum celluloſum deponantur; ubi minus nocent, quoniam oleoſo quaſi linimento involvuntur. Jam vero adeps, ſi corrupta eſt, ſi nativam blanditiem & mollem lentorem amiſit, non poteſt amplius hoc demulcendi & mortificandi officio fungi; quin potius per illa depoſita magis magisque corrumpitur.

12°. Tandem inter effecta etiam *ſcorbutus oleoſus* commemorari poteſt, ſi nomen ſcorbuti aliquanto laxius ſumamus; quod etiam fecit Illuſt. GAUBIUS (*l*) ubi ex rancore præter alias peſſimæ notæ cacochymias etiam ſcorbuticam recenſet. Equidem verus ſcorbutus ex noviſſimis Medicorum celebrium obſervationibus eſt ſanguinis cæterorumque humorum nec non partium firmarum procli-

vi-

(*l*) In §. 460. l. c.

vitas in putredinem. Rancor autem a vera putredine ut vidimus, notabili intervallo diſtat. Quoniam tamen cacochymia rancida non tantum in primis viis locum habet, ſed etiam in ſecundas quandoque admittitur, & univerſum adipem, qui inter ſuccos corporis catholicos referri debet, interdum inficit; atque tam in interioribus, quam in externo corporis habitu multa vitia ſcorbuticis haud abſimilia producit: hinc nequaquam alienum eſſe videtur, ſpeciem ſcorbuti ex hac cauſa proficiſcentis aſſumere, & huic nomen *oleoſi* aut *rancidi* imponere, cum verus nomen *ſeptici* mereatur.

Hæc ſunt præcipua rancoris in corpore orti & paulatim diffuſi effecta. Nam quæ minus certa ſunt, prætereo eo lubentius, quo plenius, quæ jam enumerata ſunt, præſentem in corpore rancorem declarant. Quapropter etiam ſupervacuum eſſe puto, de diagnoſi acrimoniæ rancidæ prolixius agere, quæ quippe partim ex recenſitis effectibus partim ex prægreſſa hominum diæta peti debet. Unum igitur hoc addere lubet, rancidum in ventriculo & primis viis hoſpitans facilius ſe prodere, quam quod in panniculo adipoſo latet; quin etiam in illis longe quam in hoc frequentius exiſtere. Oleoſa enim non ſubacta nec in formam emulſi mutata difficulter ſubeunt meatus lacteorum vaſorum, præſertim ſi corrupta ſint, & acria ſua ſpicula extrorſum verſa habeant. Contra ea in primis viis moleſtiæ & ægritudines ex uſu corruptarum pinguedinum perquam frequentes ſunt, & Medici curam ſæpenumero requirunt.

CAPUT TERTIUM.

Prophylactica & Therapeutica quædam præcepta continens.

Pinguibus & oleoſis rebus homines non poſſe prorſus carere ſupra monui. Et ſane diuturna obſervatio omniumque populorum hiſtoria abunde docent, ſylveſtres etiam & rudiſſimos homines, qui ſimpliciſſimo victu utuntur, inter alimenta ſua ſemper aliquid pinguiuſculi deſiderare & quærere. Ipſæ enim glandes tam quernæ quam faginæ, quæ ante frugum inventionem edebantur, inſignem blandi olei copiam in ſe continent; adeo ut hodie etiam in nonnullis Germaniæ regionibus, præſertim ſaltuoſis, e glandibus fagorum exprimi oleum ſoleat, vicem olivaris ſupplens. Et ille antiquiſſimus Romanorum victus, cui *pultis* nomen fecerant, non tantum farinam, aquam & mel, ſed etiam ova recipiebat. Cum igitur oleoſa materies generi humano propemodum neceſſaria ad vitam ſit; cumque ejuſdem perfrequens ſit abuſus, & multarum quandoque moleſtiarum cauſa exiſtat: non abs re erit, præcepta quædam & diætetica & pharmaceutica, quæ hinc inde collegi, hoc loco proponere

1. *Prophylaxis Rancidi.*

Omnibus oleoſorum generibus non expedit interdici hominibus vel ſanis vel ægris; attamen medicos oportet cautos eſſe in iis vel commendandis vel prohibendis.

1°. *Quo recentiora ſunt pinguia, quo molliora, quo magis ad linguam & nares inertia, eo minus nocent.* Omnia enim utut curioſe ſervantur, temporis progreſſu motum quendam inteſtinum concipiunt, quo magis magisque vitiantur.

2°. *Pinguia, nativa, blanda melius ſemper frigida quam calefacta cedunt.* Vulgatiſſima obſervatio docet butyrum liquatum, & dum calet, aſſumtum a plerisque hominibus minus bene ferri quam recens frigensque.

3°. *Nunquam conducunt mera ac ſincera, nec proinde alio conſilio, quam demulcendi molliendique aridos & duros cibos concedi debent.* Peſſimus ſane mos eorum eſt, qui tantum fere butyri, quantum panis edunt; qui cremore lactis frequenter & ſine pane aut alio ſicciore cibo utuntur; qui legumina & olera, ne jam de carnibus dicam, nimis pinguefaciunt. Jam olim prudens CELSUS inter ea quæ ſtomacho aliena ſunt, omnia pinguia & oleum & quidquid ex oleo eſtur, numeravit. Idem inter ea, quæ mali ſucci ſunt, oleum ſincerum habet; atque his, quæ inflant, omnia pinguia accenſet. (*m*)

4°. Ad-

(*m*) Vid. CORN. CELS. de Med. lib. 2. cap. 21. 25. 26.

4°. Adhibentur oleoſa, ut ante dictum eſt, cum elixis, aſſis & frixis; quocirca ſequens obſervatio haud aliena videtur: *Carnes & piſces maxime nocent, ſi cum oleo aut butyro ad lenem ignem diu confriguntur elixa; frixis præſtant, ut & ea quæ ad ignem vivum aſſata ſunt*; denique *cum elixis coctisque piſcibus butyrum frigens & ignem haud paſſum vel oleum aceto temperatum tutius editur, quam butyrum liquatum & calens.*

5°. *Quæcunque ex farina, pinguedine & melle vel ſaccharo pinſuntur*, quocunque nomine veniant, *præſertim quæ in oleo vel butyro inſuper frixa ſunt, ſtomachum gravantur, niſi fermentatione prævia & ſufficiente caloris gradu laxitatem raritatemque quandam acceperint.* Cui obſervationi non refragatur altera, qua conſtat mera farinacea, quando tempus fermentationi neceſſarium non ſuppetit, ſtomacho magis gravia eſſe, quam eadem modico oleoſæ materiæ impertita. Multa ſcilicet farinacea ſi cum aqua ſola & melle ſubiguntur, nec fermentari ob temporis penuriam poſſunt, indomabile gluten præbent. In hoc caſu ab oleo, butyro, molli pinguedine & ovorum vitellis teneritudinem quandam & laxitatem accipiunt, atque ad nutritionis opus aptiora redduntur. Sed modum tamen ſervari oportet; nam ab iisdem immodice adhibitis farinacea non fermentata, v. g. ſolani, latyri, bunii tubera, & aliæ etiam radices, item caſtaneæ, quin ipſe ſicciſſimus panis, facile in pituitam calidam vertuntur.

6°. Ut rancidum acre ex uſu pinguium facile naſcens præveniatur, *expedit butyrum cæterasque res oleoſas non ſinceras adhibere ad* in-

intinctus & embammata paranda, *ſed modico aceti vel ſucco citri vel ſaltem aqua intermixta temperare*; *aut herbam leniter aromaticam v. g. petroſelini*, *ſerpilli*, *Thymi*, *Majoranæ ſimiliumve incoquere*; *aut ſemen ſinapi vel raphanum ruſticanum vel muſtum ardens adjicere.* Quæ quidem remedia vitæ communis uſus dudum docuit homines, ut nunc familiariſſime uſurpentur. Equidem hæc regula diætetica noſtræ rancidi interpretationi videtur ex parte refragari. Cum enim rancor ſit evolutio acidi oleoſi, facile aliquis dubitet, an butyrum ab aceto aut ſucco citri temperari poſſe recte dicatur. Sed hæc ſpecioſa difficultas primo parum valet contra experientiam, deinde etiam per ea, quæ paulo poſt dicenda ſunt, ſolvetur atque removebitur.

7°. *Potus calidus aquoſus poſt uſum pinguiuſculi alimenti hauſtus ut plurimum male cedit*, *& rancori occaſionem præbet.* Videtur duobus titulis nocere, primum quoniam pinguedine gravior eſt, eamque reſpuens ſupra ſe tollit, deinde quia calorem ei adhibet. Accedit etiam hoc, quod calida ſtomachum ad tempus laxet. Hinc ratio eluceſcit, obquam infuſum theæ protinus poſt cibationem hauſtum ſæpe numero cardiæ dolorem & præcordiorum inflationem producat, præſertim ſi pinguiuſcula in prandio aſſumta fuerint.

E contrario *hauſtus frigidæ aquæ potenter compeſcit aſſumta pinguia & rancorem antevertit*; id quod omnes norunt, qui chocolata ſæpius utuntur, quorum multis ab experientia edoctis ſolenne eſt, oleoſum hunc potum hauſtu frigido includere. Neque tamen omnibus ſtomachis hoc remedium convenit; ſed languentibus & phleg-

maticis aptior eſt hauſtus generoſi vini vel pauxillum ſpiritus. Hæc una ex cauſis eſt, cur chocolatæ ut plurimum aliquid aromatis adjicitur, quo commodius a ventriculo feratur atque ſubigatur.

2. *Curatio Rancidi.*

Cum rancidum in corpore natum ſanitati ſit vehementer inimicum, multasque moleſtias producere poſſit ac ſoleat, Medici officium eſt, ut illud ex ſuis ſignis perceptum quantocius vel corrigat vel exterminet. Hunc vero ſcopum non poteſt uno eodemque remedio attingere. Quanquam enim eadem ſit materies, cui emendandæ & amoliendæ operam dare debet, perperam tamen ageret, ſi absque diſcrimine auxilia artis adhiberet, quorum quæ uni homini conveniunt, alteri ſubinde nocent.

Debet igitur animum advertere primo ad temperiem hominis, cui medicinam facit, & præcipue ad conditionem ventriculi atque inteſtinorum. Nam prout calida vel frigida, alacris vel torpida natura eſt, ſic aliam & aliam methodum poſcit. Debet deinde pariter attendere ad vitæ & victus conſuetudinem; ſiquidem multum intereſt, frequens ſit pinguium abuſus an rarior? Subita ſit cruditas per occaſionem liberalioris convivii vel alio quo caſu inexſpectato nata, an vero ſaburra ex ranceſcentibus ſæpe ingeſtis paulatim collecta? Certum enim eſt accidentalem rancorem, qui in ventriculo hominis cæterum bene valentis nata eſt, non magnum artis apparatum requirere; quin plerumque brevi ac ſponte, utique abſtinentia & idoneo potu perdomari. At ſi ex pravi victus

con-

conſuetudine & diuturno pinguium abuſu pedetentim nata eſt colluvies rancida, & per fiſtulam cibalem late diffuſa, majorem utique curam requirit.

Auxilia artis, quæ ad emendandum rancidum ab uſu & experientia ſunt comprobata, triplicis generis eſſe videntur. Nonnulla in ipſam materiem rancidam potiſſimum agunt; alia magis in fibras nervuloſque ſtomachi & inteſtinorum; alia denique utrumque faciunt.

Quæ in ipſam materiem potiſſimum operantur, hæc vel ſiccitate ſua pinguedinem attrahunt, vel facultatem abſorbendi acidi per rancorem evoluti habent. Talia ſunt *panis biscoctus* vel ſaltem *toſtus*, *farina laterum*, quæ a plebe contra ſodam haud raro nec infeliciter adhibetur, imprimis *creta*, *lapides cancrorum*, *corralla*, *magneſia* omnesque *terræ abſorbentes*, quæ quidem vel aridæ pulveris forma, vel ex aqua quadam leniter aromatica, vel in paſtillos cum mucilagine tragacanthi coactæ dari poſſunt.

Ut abſorbentia ſic etiam alcalina debito modo & tempore data rancorem ipſum egregie compeſcunt. Sic *tinctura antimonii* & *ſpiritus cornu cervi* depuratus æquali pondere inter ſe miſta ardorem ſtomachi ex rancido natum teſtantibus claris viris potenter reprimunt & domant. Ipſum *tartari oleum per deliquium* ex idoneo vehiculo datum a clinicis paſſim laudatur. Huic tamen præferendus videtur *ſapo venetus*, qui cum alcali oleo involutum contineat, tutius & liberalius dari poteſt. Inprimis etiam *ſales plantarum fixi methodo tacheniana parati*, eximiam opem præſtant,

v. g.

v. g. ſal. card. bened. abſinth. geniſt. cæteri, in quibus alcalina natura a phlogiſto relicto temperata eſt.

Mirum videri poſſet, quod *acida*, quæ prioribus remediis plane oppoſita ſunt & contraria, nihilominus a probatiſſimis Medicis adverſus rancidum adhibeantur & laudentur. Et verum omnino eſt, *acida* tum *leniora*, velut *vinum rhenanum*, *ſuccum citri*, *cremorem tartari*, tum *fortiora* v. g. *ſpiritus ſalis*, *nitri*, *vitrioli*, ſive ſinceros ſive dulcificatos, corrigendo rancido perinde atque alcalia, quin interdum magis apta & accommodata deprehendi. Anne hæc inter ſe pugnant? Anne noſtro dogmati de acore in rancido prædominante contrariantur? Non putem; ſed diſtinctionem ſervandam eſſe arbitror primo inter varia hominum temperamenta, deinde inter diverſos agendi modos, quos contraria hæc auxilia tenent. Etenim corporibus, quæ irritabilia aut calida ſunt, & ſanguinem in commotiones proclivem habent, acida in univerſum magis conveniunt, quam alcaleſcentia; eademque ſitim ariditatem atque ardorem potentius compeſcunt. Deinde cum alcalia & abſorbentia in ipſam materiem rancidam agendo proſunt, tum vero acida in hoc caſu præcipue ob facultatem, quam habent in firmas partes agendi, conducere videntur. Accedit quod experientia teſte uſus acidorum in hoc vitio non tam late pateat, quam abſorbentium & alcaleſcentium; item quod non tam pura ac ſincera quam ſpiritu vinoſo imbuta aut larga aquæ copia diluta proſint.

Scilicet credibile eſt, ipſi aquæ præſertim frigidæ plurimum tribui debere. Cum enim omnes acritates, per diluentia & tem-

pe-

perantia promptiſſime corriguntur, ſpiculis, quibus nocent, a ſe invicem remotis & hac disjunctione debilitatis, tum vero inter omnes conſtat, nihil tutius diluere & temperare, quam frigidam per vices hauſtam. Et quanquam in noſtro caſu ob oleoſam rancidi naturam permixtio plena exſpectari non poſſit, tamen materies rancida ab aqua per vices affuſa mechanice dividitur, & ſic impeditur, quo minus cauſticam ſuam vim in tunicas ventriculi & inteſtinorum exſerere queat. Adhæc aqua ipſo frigore plurimum prodeſt, dum ſenſibilitatem nervoſarum partium moderatur, & fibras motrices roborat confirmatque; quin etiam ardorem temperat & acres halitus, qui in fauces usque ſurgere ſolent, easque adurunt, compeſcit atque imbibit. Ipſa ſane experientia abunde docet, rancidum in hominibus cæterum ſanis & ſtomachum non valde debilem habentibus ſolo aquæ frigidæ uſu corrigi atque domari. Quod ſi vero imbecillus eſt ſtomachus, ſi ſyſtema abdominale infirmum aut univerſa temperies frigida exiſtit, tunc utique ſimplicis aquæ uſus non ſufficit; multoque minus acida convenire videntur, ſed præcipuum auxilium ex conjunctione abſorbentium & aromaticorum, debita proportione interſe miſtorum, exſpectari debet. Quem ad finem maxime faciunt *pulvis ari compoſitus*, *ſpecies diagalangæ*, *ſpecies diarrhodon*, *diamargaritæ* ſimilesque.

Non poſſum, quin hoc loco etiam adſtringentium mentionem faciam, occaſione remedii cujusdam vulgaris, adverſus Eryſipelas adhiberi ſoliti, cujus quippe actio ex ante dictis derivanda & explicanda videtur. Loquor de *contritis quercus foliis*, ejusdemque

E glan-

glandibus, quin ipſis *gallis*, in pulverem ruditer redactis, quæ cum vehiculo aliquo devorata auxilium contra Eryſipelas præſtare dicuntur. Quod genus remedii domeſtici in his regionibus perinde ac in Germania paſſim adhiberi nec infeliciter ſolet. Ejus autem vis manifeſta eſt adſtringendi. Neque quidquam contra Eryſipelas videtur valere, niſi hujus cauſa ſit rancidum in ventriculo hærens, & per conſenſum roſam gignens. In hoc enim caſu adſtringentia non modo rancidam materiem inviſcant & motu inteſtino privant, ſed etiam fibras ventriculi firmando ac nimiam irritabilitatem temperando prodeſſe poſſunt.

Huc usque remedia propoſui, quæ emendando ac ſubigendo rancido in primis viis exiſtenti ſunt idonea. Hæc tamen interdum non ſufficiunt, niſi aptis evacuantibus adjuventur. Igitur ſi adſint indicia copioſæ pinguedinis jamjam corruptæ in ſtomacho, aut ſi vitium rancoris vetuſtum ſit, & ex longa mali regiminis conſuetudine natum, tunc fere præſtat, excitato vomitu ſaburram e ventriculo prius ejici, quam profundius deſcendat aut febrem accendat. Quo facto illa remedia, quæ paulo ante ad corrigendum & roborandum laudavimus, promptiorem certioremque in ſtomacho ſordibus liberato efficacitatem exſerere poſſunt ac ſolent.

Sin vero rancidum inteſtina jam intraverit, & univerſam fiſtulam infeciſſe deprehendatur, alvus ducenda eſt. Et ſane quoties inveteratum malum eſt, toties præter vomitum catharſis quoque neceſſaria eſt; neque tamen omnia promiſcue purgantium genera proſunt, ſed corporum proprietates pariter atque ingenium materiæ

riæ expellendæ conſiderari debent. Itaque in noſtro caſu præcipue *rhabarbarum*, *ſalia cathartica*, *pulvis conarchinus*, *& pulvis diaſennæ* convenire videntur.

His igitur remediis, debito modo, tempore, ordine adhibitis, rancidum in primis viis plerumque feliciter ſuperatur. Idem vero in vias ſecundas & in ipſum usque panniculum adipoſum longinquitate delatum longe pertinacius eſt, nec tantum diu protracto ſimilium remediorum uſu indiget, ſed etiam diligentiſſimam diætæ & regiminis obſervationem requirit. Contra hanc intemperiem plurimum valent *ſemen ſinapis*, *ſapo venetus & borax* per ſat longum tempus quotidie vel conjunctim vel ſeparatim adhibita, interpoſito ſubinde *hauſtu vini albi*, in quo *rheum & lapides cancrorum* digeſta ſunt.

TANTUM.